



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Nicolai Mazzotta theologia moralis**

omnem rem moralem absolutissime complectens

**Mazzotta, Nicolò**

**Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756**

§. II. De odio peccati super omnia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41004**

Similiter bonitas Dei est quidem dignissima tantæ appretiationis, vi cuius excludatur affectus etiam ad quæcunque venialia; at hinc non sequitur, quod illam digne non appretiet, qui non excludit etiam venialia: quamvis enim non appretiet, quantum meretur, tamen simpliciter digne appretiat, quia potius vult subire omnia mala, quam illam, ejusque amorem amicabilem deserere.

## §. II.

*De odio peccati super omnia.*

**C**ONTRITIO perfecta detestari debet peccatum, ut malum Deo, adeoque super omnia simpliciter mala creata, ita ut contritus debeat esse saltem virtualiter, & implicite ita comparatus, ut potius velit omnia omnino bona amittere, etiam vitam, gloriam, felicitatem, &c. Item omnia simpliciter mala subire etiam gehennam, sui annihilationem, &c., quam peccare. Et ratio est evidens, quia alioquin nec Deum appretiat super omnia, nec odio haberet peccatum appretiative super omnia, & consequenter convinceretur, non amare bonitatem Dei secundum se, sed ut bonam sibi, vel aliis. Itaque homo vi actus contritionis pluris æstimat malum, quod per suum peccatum factum est Deo, quam quodcunque malum sui, vel totius universi; & similiter pluris æstimat reparare hoc malum, quam comparare sibi quodvis bonum, postponitque illi omnem suam felicitatem, etiam vitam, etiam æterna gaudia.

Dixi *Saltem virtualiter, & implicite*; nam non est opus, imo multis non expedit, facere comparisonem explicitam inter peccatum, & alia mala; cum enim hæc plerumque à nobis magis sensibilibus cognoscantur, & vivacius terreant, contingere posset, ut eorum expressa consideratio impediret efficacem detestationem peccati, ut notant Doctores communiter cum D. Bonav. in 4. d. 16. a. 2. q. 1. ideoque Tambur. l. 1. Conf. c. 1. num. 6. monet Confessarios excitantes pœnitentem ad contritionem, ne descendant ad particularia; quæ Dei sunt amorì postponenda: v. g. non oportet dicere, *Super divitias, filios, honorem, vitam, &c.* sed satis est dicere, *Super omnia Deum diligo, propter quem omnia peccata detestor, & execror.* Imo addit Croix num. 732., neque ad contritionem requiri, ut quis virtualiter, & implicite dicat, se malle infernum, quam Deum offendere, quia

non est possibilis casus, quo quis ad vitandum infernum indigeat peccato: hinc foret potius inutile se vexare in ejusmodi comparationibus, cum prudentis non sit conditionate deliberare de quibusdam eventibus præter intentionem omnis virtutis occurrentibus. Est itaque factis, ut voluntas contrita sit ita disposita, ut non sit desertura Deum pro quovis alio suo bono, sed potius electura sibi quodvis malum, si necessarium foret ad vitandam Dei offensam, quia Deo malum est.

Quæres, An per contritionem remittatur non solum peccatum, verum etiam tota pœna etiam temporalis?

Respondeo, Etsi multum pœna temporalis remittatur, non tamen semper tota hæc pœna, ex Trident. *sess. 6. c. 14. can. 30.*, & *sess. 14. de Pœnit. c. 8. & can. 12.* Sic etiam ob contritionem remissum fuit David adulterium, & homicidium, sed in pœnam mortuus est infans ex adulterio natus 2. Reg. 12. Putant tamen Suarez, d. 10. f. 3. Lug. & alii, cum culpa semper remitti aliquid pœnæ etiam temporalis: sed manet incertum, quam diuturna pœna temporalis per se loquendo maneat persolvenda post remissum quodvis mortale.

### C A P U T III.

#### *Quid de Attritione?*

**A**TTRITIO est Dolor; & detestatio peccati non ex motivo charitatis, sed alterius virtutis moralis, ideoque vocatur à Tridentino *Contritio imperfecta*. Itaque videnda sunt Primo ejus motiva: Secundo, An se sola sufficiat ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, an vero requiratur etiam contritio, vel amor benevolus Dei saltem remissus?

#### S. I.

#### *De motivis Attritionis.*

**H**ÆC enumerantur à Trid. *sess. 14. c. 4.* Et Primum est, *Turpitude peccati*: Secundum *Gehennæ*, & *pœnarum metus*: Tertium *Amisio præmii*, seu gloriæ, quod tertium, quamvis explicite non dicatur à Trid. cit. implicite tamen dicitur, ut inferunt Doctores communissime; nam ad gehennam pertinet etiam pœna damni, quæ est amisio Gloriæ, & item Gratia, cui debebatur Gloria. Itaque

I. Tur-